

THOMAS DE CANTIPRATO.



Thomas de Cantiprato in Brabantia natus & educatus fuit. hic præceptorem habuit Albertum magnum, atq; studiorum gratia ordinem prædicatorum ingressus est. Vnde tātam eruditionem acquisiuit, ut doctissimis quibusuis conferri posset. Cum autem ille intelligeret, monachorū quorundā nouis argutijs bonos authores negligi, atq; non amplius fontes, uerū riuulos lacustres à studiosis peti, Aristotelis philosophorum principis libros in Latinam linguam transtulit, quibus postea scholæ & monasteria per ducentos ferè annos usi fuerant. Habebat enim Græcæ linguae mediocrem cognitionem. uerū Latinę lingue puritas in tāta barbarie (sicut omnibus eius temporis hominibus) defuit. Scripsit etiā rerum natura, atq; de bono uniuersali. floruit sub annum Domini millesimum, ducentesimum, & septuagesimum, cum Rhodolphus Habsburgensis innotesceret. Trith.